



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 3. Variæ Sixti V. Pontificis Constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

rum Procurator. VII. Hugo de Loubens Verdalenſis Gallus ex Auxitana Diœceſi, ſupremus Ordinis Melitenſis Magiſter, Cardinalis Diaconus tituli ſanctæ Mariæ in Porticu. VIII. Denique Fridericus Borromæus, Julii Cæſaris Borromæi, & Margaritæ Trivul-tiæ Filius, Mediolanenſis Archiepiſcopus, Cardinalis Diaconus tit. ſanctorum Cosmæ, & Damiani, quo tamen dimiſſo titulum ſancti Nicolai in carcere adoptabat, ac poſtea Cardinalis Presbyter titulo ſanctæ Mariæ ab Angelis nominabatur.

§. III.

Varie Sixti V. Pontificis Conſtitutiones.

Bull. tom. 2.
pag. 619.

Hoc item anno Sixtus Pontifex circa varia Eccleſiæ negotia plures edebat Conſtitutiones, & quidem primam die quinta Januarii Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo octogefimo ſeptimo promulgabat, qua aucta fuere privilegia Congregationis *ſub invocatione Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, alias in Urbe pro Scholaribus inſiſtentibus ſtudiis Collegii Societatis Jeſu inſtitutæ.*

Per hanc ipſam Conſtitutionem Pontifex præfata privilegia extendebat ad quoscunque alios etiam non

non studentes, insuper facultatem da-
bat alias Congregationes aggregandi,
eisque indulgentias easdem commu-
nicandi.

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

II. Exstat aliud diploma Pontifi-
cium die quinta Aprilis editum, quod
agit de *Incestis in quibusdam casibus ulti-
mo supplicio in statu Ecclesiastico puniendis.*

III. Prodiit die decima quinta Apri-
lis decretum, vi cuius tituli Cardina-
lium præscribuntur, stabilesque red-
duntur, ubi Pontifex pro Episcopis sex,
quingenta autem pro Presbyteris
& quatuordecim Ecclesias pro Diaconis
assignat.

IV. Constitutio die vigesima septi-
ma Aprilis edebatur contra eos, qui
non restituunt, aut non revelant Scri-
pturas ad Cameram Apostolicam quo-
modolibet facientes, hi vero a Com-
missario ejusdem Cameræ coerceri
jubentur.

V. Diplomate die undecima Maji
edito, atque ab ipso Papa, & quadra-
ginta, & uno Cardinalibus subscripto
instituitur Nosocomium pauperum Men-
dicorum in urbe Romana.

VI. Bulla die nona Junii decerni-
tur erectio Capellæ ad Præsepe Jesu
Christi in Basilica S. Mariæ Majoris de
Urbe, cum Præpositi, Sacristæ, Ca-
pellanorum, & beneficiatorum institu-

Hh 4 tione,

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

tionem, atque Cardinalis Protectoris, & Judicis caussarum ad eos spectantium jurisdictionem.

VII. Per illam, quæ numero quinquagesima nona est hujus Pontificis constitutio, die vigesima septima Junii damnantur conjugia per Eunuchoſ, & Spadones contracta, aut imposterum contrahenda: porro hoc diploma dirigebatur ad Novariensem Episcopum summi Pontificis in Hispania Legatum.

VIII. Idem summus Pontifex alio diplomate die decima nona Julii instituit Collegium *honestarum Viduarum, & Puellarum, quæ sub regimine Conſratorum Congregationis sancti Bernardi religioſe educarentur*, atque etiam in pietatis exercitiis instituerentur.

IX. Die decima tertia Augusti per aliam Constitutionem Papa effectui dari præcepit Constitutiones Pii IV., & Pii V. *circa confidentias beneficiales editas, in Regno Gallicæ exequendas*, ita tamen, ut mitigarentur poenæ, quas ambo hi Pontifices adversus eos sanxerant: Regem vero hortabatur, ut hæc statuta exequi curaret.

X. Alio diplomate die vigesima tertia ejusdem Mensis studii *generalis Almar Urbis regimen Collegio Advocatorum Consistorialium confertur, cum antiquorum Privilegiorum confirmatione, & Præcedentia concessione.*

XI.

XI. Die quinta Septembris per aliam Constitutionem fiebat declaratio circa proprietatem olim Congregationi Canonico-
rum *Sæcularium S. Gregorii in Alga Venetiarum absolute ineditam.*

Sæcul. XVI.

A. C. 1587.

Porro ibi cuncta Pontifex revocabat ad Concilii Tridentini mentem, ejusque statuta, ita tamen, ut pœnas hanc ob rem incurfas moderandi facultas Superioribus sit relicta.

XII. Eadem die alia edita est Constitutio, qua prohibetur, ne admittantur alienigenæ ad beneficia Regni Valentiaë in Hispania.

XIII. Die undecima Septembris idem Pontifex per aliud diploma concessit, ut *Franciscus de Medicis Magnus Dux Etruriæ, & Magnus Magister Militiæ Ordinis S. Stephani erigere valeat in Commendas dictæ Militiæ Hospitalia per Laicos regi solita, atque in Etruria existentia, de quibus Sedes Apostolica dispo- nere non consuevit.*

XIV. Cum Sixtus V. Romæ novam viam aperuisset, quam a suo nomine *Felix* appellari voluit. hinc die decima Septembris edito diplomate privilegia, atque immunitates concessit illis omnibus, qui in præfata platea, nec non in via Piana ædes ædificare, atque ædificia construere voluerint.

Hh 5

XV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1587.

XV. Alio diplomate die tertia Octobris in favorem Fratrum Minorum de Observantia revocabat omnem facultatem extrahendi, aut quoque modo amovendi libros, & alia existentia in Bibliothecis Fratrum Minorum de Observantia Ordinis S. Francisci: insuper etiam modum, quo eadem conservari debeant, ac possint, præscribens statuebat poenas in ejusmodi transgressores.

XVI. Die decima quinta ejusdem Mensis sua Constitutione idem Pontifex approbabat, *Congregationem Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum sancti Francisci cum habitus designatione, & privilegiorum communicatione.*

XVII. Alia etiam Bulla Sixtus die decima tertia ejusdem Mensis confirmabat indulta, & gratias *Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ Fulienfis, Ordinis Cisterciensis sancti Benedicti strictioris observantiæ.*

XVIII. Denique die vigesima sexta prædicti Mensis Papa recipere inhibuit ad habitum, vel professionem cujuscunque ordinis Regularis homines illegitimos, criminosos, aut acri alieno, reddendisve rationibus obnoxios, & præscripsit formam Novitium recipiendi.

XIX. Sixti V. Constitutione, quæ numero septuagesima secunda die prima Decembris edita fuit, restauratur
Roma-

Romanæ urbis regimen circa civiles Sæcul. XVI.
causas. A.C. 1587.

§. IV.

Drascovitii Cardinalis obitus.

Eodem hoc anno Domini millesimo
quingentesimo octogesimo septimo
sacrum Collegium septem Cardinalium
jacturam deplorabat, quos inter pri-
mus erat Georgius Drascoviti^{us} Hun-
garus, qui sub Paulo hujus nominis
IV. in Hungaria Episcopus Quinque-
ecclesiensis, sub Pio IV. autem ad Con-
cilium Tridentinum a Ferdinando
Cæsare, ubi pro Regno Hungariæ
Oratoris munus agebat, missus fuit, ibi-
que anno millesimo quingentesimo sexa-
gesimo primo luculentam in communi
Patrum confessu habuit Orationem, in
qua affirmabat, quod pro Republica Chri-
stiana tantis malis, quibuscum passim
ea tempestate conflictabatur, oppressa,
præter Synodum nulla magis oppor-
tuna, & maxime accomoda remedia
adhiberi possent: porro inde rediens,
prudentiæ, consilii, & Religionis laude
plenus, Episcopus primo Zagabriensis,
& dein Archiepiscopus Colocensis, ac
postea Presbyter Cardinalis, suppli-
cante Rudolpho Imperatore absens a
Sixto V. anno Salutis nostræ millesimo
quingentesimo octogesimo quinto re-
nun-

Ciac. pag.
152.